



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De gratitudine, pro gratia Dei. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

nis, tentatio præcedens esse signum. Nam tentationibus probatis, cælestis promittitur consolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitæ. *Apoc. 2.*

8 Datur autem consolatio diuina, vt homo fortior sit, ad sustinendum aduersa. Sequitur etiam têtatio, ne se cleuet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua est: ideò non cesses te præparare ad certamen; quia à dextris & à sinistris hostes sunt, qui numquam quiescunt. *1. Pet. 5.*

CAP. X.

De gratitudine, pro gratia Dei.

1 **C**VR quæris quietem, cùm natus sis ad laborem? Pone te ad patientiam magis, quàm ad consolationes: & ad crucem portandam magis, quàm ad lætitiã. Quis enim secularium, non libenter consolationem & lætitiã spiritualem acciperet, si semper obtinere posset? Excedunt enim spirituales consolationes, omnes mundi delicias, & carnis voluptates. Nam omnes deliciæ mundanæ, aut vanæ sunt, aut turpes. Spirituales verò

E 4 deli-

delitiæ, solæ iucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ. Sed istis diuinis consolationis, nemo semper pro suo affectu frui valet? quia tempus tentationis, non diu cessat.

2 Multum autem contrariatur supernæ visitationi, falsa libertas animi, & magna confidentia sui. Deus benè facit consolationis gratiam dando: sed homo malè agit, non totum Deo, cum gratiarum actione, retribuendo. Et *Eccl. 1.* ideò non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori: nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia, dignè gratias referenti: & auferetur ab elato, quod dari solet humili.

3 Nolo consolationem, quæ mihi auferat compunctionem: nec affecto contemplationem, quæ ducit in elationem. Non enim omne altum, sanctum: nec omne dulce, bonum: nec omne desiderium, purum: ne omne charum, Deo gratum. Libèter accepto gratiam, unde semper humilior & timorator inueniar, atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiæ, & erudi-

eruditus subtractionis verberare, non sibi audebit quicquam boni attribuere: sed potius se pauperem, & nudum confitebitur. Da Deo, quod Dei est: & tibi *Mat. 22* ascribe, quod tuum est: hoc est, Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem soli culpam & dignam pœnam, pro culpa deberi sentias.

4 Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum: nam summum, *Luc. 14* non stat sine infimo. Summi sancti apud Deum, minimi sunt apud se. Et quanto gloriosiores, tanto in se humiliores. Pleni veritate & gloria caelesti, non sunt vanæ gloriæ cupidi. In Deo confirmati & fundati, nullo modo possunt esse elati. Et qui totum Deo ascribunt, quicquid boni acceperunt, gloriam abinvicem non quarunt: sed gloriam, quæ à solo Deo est, volunt: & *Ioan. 5.* Deum in se, & in omnibus Sanctis, laudare super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt.

5 Esto igitur gratus pro minimo, & eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimum, etiam pro maximo: & magis contemptibile, pro speciali dono. Si dignitas datoris inspicitur, nullum
E s datum

datum paruum, aut nimis vile videbitur. Nō enim paruum est, quod à summo Deo donatur. Etiam si pœnas & verbera dederit, gratū esse debet: quia semper pro salute nostra facit, quicquid nobis aduenire permittit. Qui gratiam DEI retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro ablata. Oret, vt redeat: cautus sit & humilis, ne amittat.

CAP. XI.

De paucitate amatorum crucis IESU.

HABET Iesus nunc, multos amatores regni sui caelestis, sed paucos baiulatores suæ crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis. Plures inuenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo, aut cum eo aliquid sustinere. Multi Iesum sequuntur, vsque ad fractionem panis: sed pauci vsque ad bibendum calicē passionis. Multi miracula eius venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur. Multi Iesum diligunt, quamdiu aduersa non contingunt.

Luc. 9.
22.